



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 3. An Monasterium B. potuerit absque Simonia aliquid exigere pro
concessione Florindi in Prælatum eligendi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

tione, si v. g. Religionem ingrediatur &c.

In suprà dictis ergo promissionibus, donationibus &c. temporale, quod datur, non consideratur, nec datur tanquam pretium, aut motivum, vel finis rei spiritualis, sed potiùs tanquam liberalis remuneratio actûs spiritualis, exerciti in gratiam donantis, vel legantis, non imponendo obligationem absolutam, ut dictum est.

Nam si res temporalis ea ratione daretur, ut simpliciter imponeretur obligatio donatario vel promissario ad opus spirituale præstandum, non evitaretur Simonia, videretur enim tunc, ejusmodi opus spirituale, ad quod aliquis absolutè & simpliciter obligatur, pretio æstimari, & effici contractum onerosum, v. g. *do tibi centum, ea lege, ac obligatione, ut Religionem ingrediaris.*

Et in hoc sensu intelligi debet textus *can. quàm pio 2. caus. 1. q. 2.* ubi ad casum, quo Monasterium quoddam Prælato carens ex alio Monasterio Prælato postulavit, cui petitioni annuere noluit, nisi facta sibi aliqua compensatione, respondit Bonifacius Papa, se anxium esse, & dubium non dando responso, sed quibus verbis dandum esset, ne multum eos Religiosos contristaret, ac tamen modeste, & prudenter respondit,

nullo modo licere talem exactiorem, argumento desumpto ex Apostolorum exemplo, de quibus dicit, nunquam provocasse aliquem ad Dei cultum aliquo muneris interventu. Scilicet imponendo illi determinatam, & absolutam obligationem. Unde ita concludit: Cavete ergo, fratres, quàm sit ambiguum, quod petistis, consilium, quod quidem secundum vestræ voluntatis propositum, nulla invenimus ratione confirmatum. Verumtamen si vestræ necessitati adeò est opportunus, quem reperistis, dummodo tamen omnis absit pactio, omnis cesset conventio, nullaque vestræ Ecclesiæ fiat distractio, accedat gratis, Deo servire incipiat, sui que regiminis devotè gestet obsequium: Et postmodum vos quasi subsidii gratiâ, aliqua suæ Ecclesiæ munera largiri fratrum solatio Romana permittit Ecclesia. Hæc Pontifex. Ex quibus patet etiam responsio ad 3. Q.

Ad 4. Q. R. poenas impositas 406 ob Simoniacum ingressum in Religionem haberi in *Extravag. 1. de Simon.* Ubi 1. Excommunicantur Excommunicatione majore Papæ reservata dantes ex pacto & recipientes pecuniam pro ipsa receptione in Religionem, & Capitulum, in talem receptionem consentiens, suspenditur ab omni actu jurisdictionem, vel administrationem requirente.

K k k 2

2. In-